PRÆFATIO.

DEcimum Octavum Annum agebam, cum ingenita sciendi cupiditate in me vehementiùs excitata, Cœlum, astra, elementa, totiusque spectabilis Universi miram harmoniam, & elegantiam accuratè perpendens, sic mecum ratiocinari incæpi: Si magnum, & admiratione dignum est id, quod in amplissimo mundanorum corporum theatro Naturæ creantis industria fabrefacto, & oculis, & animo intuemur, admirabilior profectò, major, & longè præstantior erit Animus, qui cunctis corporibus intelligentia destitutis excellens, non tantum est, & *vivit*, verùm etiam intelligendo, & se existere, *ac vivere scit*, in cuius memoriæ sinu spatiorum immensorum, totque immanium corporum ingentes imagines continentur; quin etiam tàm ille potest, ut unico obtutu integrum cœlestis Orbis hemisphęrium capiat, atque Lunam, Solem, reliquasque planetarum evagantium moles imaginatione complectatur. Idcircò spe magna adductus, tàm potentis, tàm robusti, ac vivacis animi sublimem indolem, ac latentes affectiones evelandi, & ut melius dicam, insigniorem, nobilioremque hominis partem dignoscendi, *celebratissimos Viros*, qui tunc temporis in Trinacria, & ingenio, & doctrina florebant, adivi, consulens illos, & enixè rogans, ut quid sit Animus, qui cogitatione elementares & æthereas Regiones claudit, mihi planè aperirent, ne me nesciens, veluti mente captus, aut delirans, primùm extranea, remotissima, atque ea, quæ inferioris sunt naturæ, præposterè investigarem; Quippè qui existimabam, multò magis se ipsos mirari, & scire eos, qui telluris viscera, abditiores firmamenti recessus, syderum cursus, maris æstum, ipsamet etiam infinita spatia, quæ extrà mundi confinia distenduntur, cogitatione agitant, & improbo labore revolvunt. Attamen mea me fefellit opinio: Siquidem audacter fatebantur, se Animi naturam ignorare, spiritalia, & invisibilia confusè tantum, & obscurè percipere, corpora, & quę sensum movent, dumtaxat cognoscere, ac inquirere, cætera verò, quæ suprà tactum, oculum, aures, aliosque sensus, & phantasiam at-